



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Narcisci Episcopi calumniatores suis impetrationibus puniti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

lumniatorum, ſed toti montes ſi cecidiſſent, melius eis fuiſſet, quam eam pati calamitatem. Vnde videant, qui calumnijs alios evertunt, quæ eos maneat calamitas, ſi non in hac vita, ſaltem in futuro iudicio. Enimuerò videant, quantum ſit flagitium calumnia. Si enim Deus non punit ultra meritum, ſed citra, vt Theologi docent, & tamen tam ſeuere punit calumniantes, poteſt utique ex pœnæ atrocitate intelligi ſceleris magnitudo.

Hæc, vt homines à calumnijs deterreat, ex ipſis pœnis à Deo inflictis agnita, in cauſa eſt, ne pœna ſemper in alteram vitam differatur, ſed in terris quoq; detegat calumniarum fabros. Nar- rat Eufebius, Narciffum Hieroſolymitanum Episcopum à tribus falſis teſtibus de infami crimine fuiſſe accuſatum, mox ipſos infamia maxima fuiſſe notatos. Primus accuſator iurauerat, vt ni verum eſſet hoc eius Præſulis crimen, Deus eum igne perditum iret: ſecundus morbum ſibi regium imprecabatur, ni vera accuſarentur: tertius, ſi falſum diceret, oculis voluit orbari. Falſum probrum, verum illico plexit ſupplicium. Nam primus in domo nocte incendio correpta, cum omni familia ſua flammis vtricibus conflagrauit. Alter non rex, morbo tamen regio à capite ad pedes correptus & abſumptus eſt. Quorum pœnâ percuſſus tertius reſipuit, ſed mulctam non enaſit. Videns enim præſentem Dei vindictam ad pœnitentiam ſeriam confugit. Scelus igitur confeſſus tantis lacrymis deſleuit, vt luminibus orbaretur. Redijt igitur & in hunc, quod molitus eſt alteri. Pro fræno nobis meritò ſunt iſta. *Tentamur his tentationibus quotidie. Domine, ait S. Auguſtinus, ſine ceſſatione tentamur. Quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam. Eſt qualiſcumq; in alijs generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc panè nulla eſt.* Aliquam tamen, velut digito intento, monſtrant pœnæ ſimilium peccatorum. Ideò enim vel punit, vel ſinit puniri calumnias cæleſtis vindex, vt doceat vitari.

Sufannam ſenes primùm procando, deinde calumniando oppugnarunt: viri fæminam, ſenes iuuenem, & victi ſunt. In contrarium & femina iuuenem aggreſſa eſt, atque malum, quod illi parauit, tulit, Crifpum Conſtantini Imp. ex Mineruina Filium Fauſta vxor Imperatoria deperiijt, atque amore impuro incenſa,

VII.

Eufeb. lib. 6. hiſt. c. 7.

S. Auguſtin. lib. 10. Conf. c. 37.

VIII.

Eutropius lib. 6 hiſt. cap 7. Auguſtin. lib. 2. Annal Boiorum.